



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus V. De Conditionibus apposis in Desponsatione, vel aliis
Contractibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

que magis poterunt sponsalia, inita de futuro, secundum Brocardicum illud, *Si duo vincunt te, multo magis vincunt te*, l. in accessionibus 14. §. 3. ff. de Divers. temp. prescript. & Regulam, *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*, quæ est 13. in 6.

Eadem Episcopali quoque aliæ Ordinaria autoritate solvi posse, suadet ratio; quod, eum Episcop⁹ pastor Ordinarius sit suæ diocesis, sicut respectu omnium totius Christiani orbis fidelium est Papa, cum subditis suis diocesanis dispensare valeat in omnibus casibus, in quibus respectu omnium Christi fidelium Papa dispensat: nisi casus isti specialiter sint reservati, ut à pluribus Regulæ instar tradi solet cum Abulensi in Matth. cap. 6. q. 86. Victoria Relect. de Matr. p. 1. n. 7. & Soto Lib. 10. de Justitia, q. 1. art. 3. ad 2.

26. Verius tamen, sponsalitiæ obligationem per viam dispensationis relaxandi potestatem Episcopo competere, cum Paludano in 4. diff. 27. q. 1. art. 2. n. 14. Cajetano in Summa V. Matrimonium, cap. 1. §. Et scito Henriquez Lib. 12. cap. 2. n. 2. & aliis negat cit. Sanchez Lib. 7. disp. 17. n. 13. in eam rem allegans c. Ex literis 10. de Spons. & matrim. Ubi Alexander III. Episcopo Pictaviensi mandat;

ut sponsum ad fidem sponsæ datam per nuptias adimplendam compellat, non obscuro indicio, sponsalia relaxari ab Episcopo non posse. Ratio est; quia dissolutione sponsalium, & ex istis ortæ obligationis remissione, in sponforum unius gratiam factâ, alteri ex illis justè acquisitum jus auferretur: jus autem alteri quocumque justò titulo acquisitum auferre summo Principe inferior nemo, & ipse etiam Princeps sine gravi ferèque publica causâ non potest: & tali etiam causâ poscente, non facillè solet sine ejus, quod interest, & damni ea ablatione illati compensatione, per tradita à Panormit. in c. Que in Ecclesiis 7. de Constitut. n. 11. Felino ibid. n. 26. & 29. Jafone in l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. à n. 24. Laiman. in c. cit. n. 12. & Pirrhing in Rubric. cit. n. 10.

Neque hac in re patrocinium efficacis Episcopis præstat Regulare dogma pro ipsis allegatum; quia eò jactatam Episcopalis & Apostolicæ potestatis æquiparationem omni Juris adminiculò destitutâ; & si non variis limitationibus adhibitis temperetur, omnino vanam esse, rectè observat Suarez Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 6. & latè ostendit Eagnanus in c. Perniciosam 1. de Offic. Ordin. n. 29. & à n. 55. ut ad eandem Rubr. dictum est à n. 81.



TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Dispensatione, vel in aliis Contractibus.



Sicut Contractibus aliis, sic etiam Dispensationibus, saltem de futuro, apponi non rarò so-

lent Conditiones: quarum uti & Modi, sub quo illæ aliquando ineuntur, varietas ac vis declaranda hæc Rubricâ proponitur.

ARTI-

ARTICULUS 1.

De Desponsatione sub
Conditione Necessaria
& Contingente Hone-
sta.

SUMMARIUM.

1. *Natura Conditionis ac Modi,*
2. *Eorumque differentia,*
3. *Et varietas Conditionum.*
4. *Desponsationem non suspendit Condi-
tio de præterito & præsentis:*
5. *Sed, si ista impleta non sit, illam vi-
tiet;*
6. *Ut etiam carnali copulâ accedente
non convalescat.*
7. *Eadem via est Conditionis de futuro
Necessario.*
8. *Desponsationem tamen suspendit condi-
tio Honesta de futuro contin-
gente:*
9. *Quâ impletâ desponsatio perfecta
est,*
10. *Sine novo contrahentium consensu,*
11. *Etiâ post Concilium Tridentinum:*
12. *Licet post hoc de conditione impleta
Parocho & testibus debeat con-
stare.*
13. *Sub conditione cum duabus inito-
rum sponsalium priora:*
14. *Matrimoniorum id prævalet, cujus
conditio prius impleta est.*
15. *Horum utriusque conditionibus si-
mul impletis, neutrum valet.*
16. *Conjugia conditionata non facillè
permittenda.*

I. **C**onditio, à verbo *Condere* deri-
vata & strictè, sive pro ea, quæ
de futuro & contingente even-
tu est, sumpta secundum Syl-

vestrum *V. Conditio n. 15.* est Oratio di-
spotionem in tempus & eventum futu-
rum incertum suspendens. Latè autem,
& in præsentis Rubricæ sensu accepta ad
mentem Zabarellæ in *c. Verùm 4.* & Mo-
linæ *Tract. 2. de J. & J. disp. 206. n. 1.*
est Oratio sive adjectio, contractus vel al-
terius actus dispositionem &c, quam ista
inducit, obligationem in aliud resolvens
aut suspendens.

Ei affinis est Modus: qui secundum
Sylvestrum *V. cit. n. 3.* est Adjectio ali-
cujus oneris, ad quod post contractum
perfectum obligare volumus contrahen-
tem. Differt à Conditione; quòd ista
dispositionem & obligationem ferè su-
spendat; ut hæc effectum non consequa-
tur, nisi illa verificetur: modus autem di-
spotionem perfectam supponat, eam-
que duntaxat temperet oneris adjectione,
*l. 1. l. Si rerum 2. C. de Donat. quæ sub
modo &c.* Glossa in *c. Verùm cit. V. Con-
ditione, ubi Panormit. n. 2.* & Gomez
Lib. 1. Var. cap. 12. n. 70. Unde Con-
ditio per dictionem *Si*, v.g. *Ducam te, si
pater consenserit*: Modus autem per di-
ctionem *Ut*, v.g. *Ducam te, ut divitias
consequar*, exprimi solet, Sylvester *V.
cit. num. 3.* & Pirthing *ad hanc Rubric.
num. 1.*

Conditio latius accepta alia est de
Præterito vel Præsentis, quæ dispositio-
nem resolvit & dependentem reddit ab
aliquo, quod extitit aut jam existit: alia
de Futuro, quæ eam suspendit in tempus
seu eventum futurum, §. *Sub conditione*
4. Instit. de V. O. Atque hæc sive de Futuro
Conditio rursus alia Possibilis, alia
Impossibilis: alia Necessaria, alia Con-
tingens: alia Honesta, alia Inhonesta est
sive turpis. Ex quibus Necessaria & Im-
possibilis, cum eventum habeant vel non
habeant certum, & qui suspendi propriè
non possit, à strictè dicta Conditione de-
ficiunt,

ficiunt, l. *Quod si ea* 18. ff. de *Condit. indeb.* & l. *Si impossibilis* 7. l. *In illa* 8. ff. de *V. O.* sicut ab ea etiam deficit, quæ de præfenti vel præterito est; quia dispositionem & obligationem non suspendit, l. *Conditio* 100. l. *Si ita* 120. ff. eadem *Rubr.* & l. *Itaque* 39. ff. de *Reb. credit.* Pontius *Lib. 3. de Matr. cap. 1. n. 5.* & Gonzalez *in c. 1. n. 4. & 5.*

4. Hactenus declaratarum Conditionum, sicut contractibus & actibus aliis, sic etiam Matrimonio & Sponsalibus appositatum, varia vis est & effectus;

Primo enim, conditio de præterito & præfenti, vg. *Contraho, si pater mortuus est, Si nobilis es,* matrimonialis & sponsalium contractus obligationes non suspendit, neque eos etiam vitiat: sed facit; ut contrahens statim sit, vel non

5. sit obligatus, §. *Conditiones* 6. *Instit.* & l. *Si ita* 120. ff. de *V. O.* etiam si conditionem jam existere vel extitisse contrahentium uterque ignoret, l. *Cum ad præfens* 37. ff. de *Reb. Credit.* & l. *Cum in secundo* 16. pr. ff. de *Injusto rupto* &c. cum enim contractus indeque nata obligatio pendeat à voluntate contrahentium, *Reg. Contractus* 85. in 6. & hi in matrimonio vel sponsalia consentiant sub conditione paternæ mortis vel nobilitatis, his de præterito vel præfenti existentibus jam nata erit obligatio: licet, ut ex ea agere aut jure quaesito uti valeant, conditionis ita existentis noticia exigatur, ut rem hanc eruditè explicat Gonzalez *in c. 1. cit. n. 5.* Unde

Infertur, invalidum esse matrimonium cum muliere initum sub conditione, *Si legitima es,* quando illa legitima esse creditur, sed non est; quia conditio illa est possibilis & honesta: cujusmodi conditio de præfenti vel præterito nuptiali contractui adjecta, si vera, conjugium validum: si falsa est, irritum statim reddit, *arg. l. Cum ad præfens* & l. *Cum in*

secundo cit. Fagnanus *in c. fn. à n. 17.* Sed hinc

Dubium oritur, an matrimonium 6. sub hujusmodi conditione contractum, subsecutà carnali copulâ convalescat; ut, natalium defectu postea detecto, qui id contraxerunt, separari amplius non possint. Ratio dubitandi est; quia sponsalia & matrimonium contrahens sub conditione, vg. *Si pater consensereit,* si ante istius eventum ita desponsatam carnaliter cognoscat, à conditione recessisse præsumitur, *c. De illis* 3. *c. Super eo* 5. & præfertim *c. Per tuas* 6. quòd textu de tali contractu ab Episcopo Maricano, vel potius Messanensi, per notatà Gonzalez *ibin. 1.* consultus Innocentius III. in hæc verba rescripsit, *Cum liquido constet, quòd post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum;* quia creditur à conditione recessisse, præsumptione Juris & de jure, contrarii probationem directam non admittente, *arg. c. Is, qui fidem* 30. de *Spons. & matr.* Glossa *in c. Per tuas cit. V. Præsumendum,* Menochius *Lib. 3. præsumpti. l. n. 15.* & Barbosa *in c. cit. n. 4.*

Sed veriùs, ejusmodi matrimonium, sub conditione de præfenti vel præterito initum, subsecutà copulâ non convalescere vel confirmari, cum Panormit. *in c. Per tuas cit. n. 4.* Anchorano *n. 3.* docent Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 1. n. 13.* Fagnanus *in c. Per tuas cit. n. 22.* & Gobat *Experient. Tract. 10. n. 452.* quòd, licet ex copula subsecuta à conditione de futuro: non tamen ab ea, quæ de præfenti vel præterito est, recessus præsumatur; quia conditio de præfenti & præterito actui adjecta & non impleta illum initio invalidum ac nullum reddit, *arg. l. Cum ad præfens* & l. *Cum in secundo cit.* ut eum secuta carnalis copula fornicaria sit, non conjugalis: licet talis ex Juris præsumptione sit, quæ super-
venit ma-

venit matrimonio inito sub conditione de futuro; quia sub tali initus contractus initio non est invalidus, sed solummodo suspensus usque ad eventum conditionis, *c. De illis c. Super eo cit. & l. Eas causas 80. ff. Condit. & demonstr.* Unde, ista nondum impletâ, per supervenientem copulam carnalem à conditione recessum, & ad excludendum peccatum fornicationis, illa processisse præsumitur ex affectu conjugali, *citt. Ant. de Butrio n. 7. & Fagnanus n. 27.* Confirmatur hæc Resolutio; quia etiam sub conditione de futuro, *vg. accessuri consensûs paterni inita sponsalia in matrimonium solummodo transeunt, si copula carnalis eventum conditionis antecedit;* non etiam, si illa inter personas ita desponsatas intercedat, postquam conditio per patris contradictionem jam defecit; quod, eâ deficiente, sponsalia jam evaserint nulla, *Glossa in c. Per tuas cit. v. Sponsalibus.* Unde, cum in matrimonio cum muliere inito sub conditione, *Si legitima es,* ista non subsistente, matrimonium nullum fuerit ab initio, per copulam cum illa subsecutam non convalescet.

Secundò, eodem modò matrimonium & sponsalia non suspendit neque vitiat ipsi apposita conditio de futuro Necessario, *vg. Contrabo, si cras sol orietur;* sed statim obligat perinde, ut si illa purè & sine conditione contracta fuissent, *l. Impossibilia cit. l. Si pupillus 9. §. 1. ff. de Novationibus;* quia conditio necessariò futura, quòd determinata jam sit in sua causa, pro præsentè & jam existente habetur; idèoque obligationem non moratur, *§. Conditiones cit.* Ita cum S. Thoma in 4. dist. 29. q. Unica, art. 3. Navarro Manual. cap. 22. n. 66. & Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 2. n. 10. Sanchez Lib. 15. de Matrim. disp. 2. n. 2. & Pontius cit. cap. 1. n. 8.

Tertiò, conditio de futuro contingente Honesta saltem matrimonii substantiæ non contraria, *vg. Contrabo si Pater consenserit, si dignitatem vel munus publicum fueris consecutus.* sicut ceteros *§. Sub conditione cit. l. Conditionales 4. ff. de V. O.* sic etiam sponsalitos ac matrimoniales contractus suspendit; ut sponsalia & matrimonia ante ejus eventum non sint absoluta, *c. De illis 3. & c. Super eo 5. nisi carnalis copula esset subsecuta;* tali enim casu à conditione recessus & novus consensus de præsentè præstitus præsumebatur Jure antiquo, *arg. c. Veniens 15. & c. Is, qui fidem 30. de Spons. & Matrim.* Novissimo autem Jure hujusmodi matrimonia præsumpta irritata sunt à S. Synodo Tridentina *sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

Neque obstat; quòd sponsalia & matrimonium sint actus legitimi, qui conditionem non recipiunt, per *Regg. Actus legitimi 77. ff. & 50. in 6.* quia Regula ista exaudiendâ sunt de actibus, quibus vel ex natura rei, vel ex speciali legis dispositione conditio adjici prohibetur; quòd *vg. iis præscripta sit certa forma, ut sunt Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c.* non autem de actibus, qui à voluntate nostra pendent, ut plerique contractus, atque hos inter etiam sponsalia & matrimonium, quæ neque certam formam habent à lege Divina, neque conditionem recipere à Jure prohibentur, imò clarè permittuntur *c. De illis & c. Super eo cit.* ut aliis DD. allegatis ostendit Barbosa in *Reg.illus 50. cit. n. 8.* Unde

Dubium oritur, an matrimonium, initum sub hujusmodi conditione honesta, istâ positâ, perficiatur; ut non sit opus novo consensu. De sponsalibus id affirmandum, clarè colligitur, argumentò à contrario ductò, ex *c. Unico, de Sponsal. & Matr.*

Et matrim. in 6. ubi ex ipsis, si conditio-
nata sint, ante eventum conditionis publi-
cæ Honestatis impedimentum nasci, ne-
gatur ob defectum consensûs. De ma-
trimonio verò id negant multi præsertim
TT. & ex JCT. is Covarruvias p. 2. cit.
cap. 3. pr. n. 15. & Gutierrez Canon. Q. 2.
Lib. 1. cap. 12. n. 21. quos Pontius secutus
est cit. cap. 14. n. 3. id desumens partim
ex c. *Super eo cit.* quò textu is, qui matrimo-
nium cum muliere iniiit sub conditio-
ne consensûs paterni, ad matrimonium
contrahendum non cogendus dicitur an-
te eventum conditionis. Unde à contra-
rio inferitur, hâc eveniente, contrahere, u-
trinque novò consensu positò, cogendum:
partim verò; quòd matrimonium sit No-
væ Legis Sacramentum; ac proinde, sicut
cætera Sacramenta, sic etiam ipsum à fu-
tura conditione nequeat pendere: sed;
ut statim valeat aut non valeat, sit ne-
cesse.

10. Sed verius est, sicut sponsalia, sic &
matrimonium, conditionatè initum, im-
pletâ conditione, perfici sine novo consen-
su, ut cum Innocentio in c. *Super eo cit.*
Navarro *Manual. cap. 22. n. 63.* & aliis
Juris Pontificii Interpp. ac DD. defen-
dunt cit. Sanchez *disp. 8. n. 5.* Coninck
disp. 29. dub. 10. n. 11. & novissimè Card.
de Lugo de *Penit. disp. 13. s. 5. n. 5.* eâ
ducti ratione; quòd obligatio conditio-
nalis positâ conditione transeat in abso-
lutam; quia consensus ille, cum in even-
tum conditionis relatus sit, ad hunc usque
moraliter perseverat, sicut accidit in con-
trahente per procuratorem, c. *fin. de Pro-
curat. in in 6.* & propterea, positâ con-
ditione, non minus obligabit; quàm si
novus poneretur, ut patet inductione o-
mnium aliorum contractuum, qui positâ
conditione sine novo consensu perficiun-
tur; ut ab ejus positâ tempore valeant
perinde, ut si ab initio purè initi fuissent,

1. *Potior 11. s. 1. ff. Qui potiores in pign.*
1. *Hac venditio 7. ff. de Contrah. emp.*

Neque obstat textus allegatus in
contrarium; quia, c. *cit.* verbum *Contra-
here* idem significat quòd *Consummare*,
ut responsio congruat interrogationi, l. 1.
C. de *divers. rescript. 5. c. Qualiter 24.*
ibi, *ut juxta formam judicij sententia
quoque forma dicitur, de Accusat.* Eo-
dem modò, cum ibi dicitur, consensum,
pendentem ab eventu futuro, non esse de
præsenti, sensus est; quòd de præsentì
non sit absolutus & omnino perfectus;
cum effectum non habeat de præsentì:
non verò; quòd sit tantum sponsaliti-
us obligans ad matrimonium de futuro con-
trahendum, Fagnanus in c. *cit. an. 2.*

Non magis quàm textus urget ra-
tio; quia matrimonium est contractus;
cujus natura cum per elevationem ad di-
gnitatem Sacramenti à Christo Domino
mutata non sit, sicut contractus cæteri,
sic etiam ipsum contrahi sub conditione,
& hâc impletâ sine novo consensu perfici
potest, Fagnanus *cit. n. 3.* asserens id Cu-
riæ Romanæ praxi observari etiam post
Tridentinum; ut matrimonio, coram Pa-
rocho & testibus initò sub conditione,
istâ purificatâ seu impletâ, necesse non sit
contractum iterari.

Quantumvis autem hoc necessarium 11.
non sit, post 8. Synodum Tridentinam
tamen, sicut tutior in praxi, sic & in
theoria probabilior est doctrina Rebelli
Lib. 2. de *Oblig. Just. 4. 10. s. 6. n. 44.* &
Coninck *disp. 29. dub. 1. n. 15.* ad matrimo-
nium initum sub conditione exigentium;
ut Parochus & testes intersint non
solum illius contractui, sed etiam imple-
tioni conditionis; quia aliàs Ecclesiæ non
possent testificari, contractum matrimo-
niale secundum externam speciem legiti-
mè celebratum & perfectum; & pro-
pterea conjugium, alterò negante condi-
tionem 11.

tionem impletam, ad conjugii validè initi dissolutionem posset deveniri: ad eujusmodi incommoda evitanda parochi & duorum triumve testium præsentia à memorati Concilii PP. requisita est *cap. 1. cit.* Unde necessarium est; ut literæ dispensationis super impedimento istis exhibeantur ab iis, qui sub ejus à sede Apostolica impetrandæ conditione contraxerunt, ut vult Perez *disp. 16. de Matr. f. 14. n. 7.* vel saltem; ut eam impetratam & conditionem impletam, coram ipsis asfirmet; quod cum *cit.* Coninck *n. 17.* sufficere, existimat Laiman *Lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 7. n. 3.*

13. Dubium est de sponsalibus & matrimonio, sub conditione de futuro initis cum duabus. Qua in re varii sensus sunt DD. ex quibus à vero minùs aberrare videntur, qui inter sponsalia & matrimonium statuunt discrimen; ex binis enim sponsalibus priora præferenda sunt, sive ipsi appositæ conditio impleatur ante, sive post impletam conditionem, quæ posterioribus est adjecta; quia posteriora, in prius initorum præjudicium contracta, irrita sunt; cum priora etiam conditionata pariant obligationem expectandi eventum conditionis: quam obligationem tollendi vim non habent, quæ cum alia sub eadem vel sub alia conditione postea sunt contracta, hõc ipsò; quòd sponsalia, licet contrahentium utriusque mutuò, non tamen unius dantaxat consensu, vel potius dissensu, dissolvantur; cum, *Quòd ea ineundo contrahenti Semel placuit, displicere amplius non possit, Regula est 21. in 6.* Unde invalida sunt postea cum alia inita, etiam sub conditione: nisi collata essent in eventum, quòd prius inita essent dissoluta; ut ad eòd priora, conditione, sub qua inita sunt, impletà, evadant absoluta; etiamsi posterioribus adjecta conditio antè impleta fuisset;

quia hæc adjecta est sponsalibus initis in præjudicium priorum, & ipso jure invalidis. Ita Coninck *disp. 29. dub. 1. n. 20.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 7. n. 6.* & Pontius *Lib. 3. de Matrim. cap. 13. n. 1.*

Idem de matrimonio, sub ejusmodi conditione cum duabus contracto, statuendum videri primò intuitu potest; quòd initum sub conditione vim habeat sponsalium, ex communi sententia TT. teste *cit.* Sanchez *disp. 8. n. 17.* Sed hoc leve est; quia matrimonium, initum sub conditione de futuro, sponsalium vim eatenus tantum habet; quòd ante eventum conditionis, sponsalium instar, ipsum quoque absolutum & perfectum non sit; non in aliis; cum, conditione purificatà, matrimonium sine novo consensu absolutum sit perfectumque, & contrahentes insolubili vinculo jungantur: quali vinculo non junguntur, qui sponsalia, etiam absoluta, injerunt.

Quare verisimiliùs *cit.* Coninck *n. 20.* Laiman *n. 7.* eòsque secutus Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 28.* ex duobus matrimonius conditionis prævalere docent id, cui adjecta conditio prius est impleta. Ratio est; quia contractu matrimoniali posteriori, prius præstito in aliam consensui, non absoluto, sed solum conditionato faciliùs, quàm contractui sponsalium per alium ejusmodi contractum, cum alia subsecutum, præjudicatur; ut consensus prior, licet non justè, validè tamen valeat revocari; cum iste, sub conditione primùm eventura in aliquam præstitus, per contractum matrimonialem absolutum cum alia celebratum indubitatè revocetur, & contractus matrimonialis absolutus prævaleat præterito solum conditionato. Cum ergo ex duobus matrimoniis, initis sub conditione eventus futuri, id, cui appositæ conditio prius impleta est,

U

pleta est,

pleta est, ipsò istius eventu evadat absolutum, hoc sub conditione priùs inito prævalebit saltem, si contrahens in consensu, sub conditione præstito in matrimonium posterius, perseveret.

15. Casu, quò utrique adjecta conditio impletur simul, neutrum perfici sed utrumque vitari, *citt. DD. aiunt fere, sicut contingit, quando matrimonium cum duabus simul contrahitur absolute, propter incertitudinem, quã matrimonium vitari, arg. Reg. Ubi repugnantia 148. ff. de R. J. docent Alex. de Nevo in c. 1. hãc Rubr. n. 5. Sylvester V. Matrimonium 3. q. 6. citt. Sanchez disp. 8. n. 15. & Laiman n. 7.*

16. Cæterùm sub conditione, præstitim de futuro, etiam cum una duntaxat in nita matrimonia, licet sacri Canones non improbant, hodie ferè inusitata: & quòd variis incommodis obnoxia sint, à Parochis non, nisi gravi causa urgente, permittenda, cum Tamburino *Tract. 4. de Matr. cap. 5. §. 10. rectè monet Gobat cit. Tract. 10. num. 451. & Tract. 9. num. 138.*

ARTICULUS II.

De Desponsatione sub Conditione Impossibili.

SUMMARIUM.

17. *Conditio impossibilis in matrimonio rejicitur.*
 18. *Non quidem, si pro possibili habita,*
 19. *Vel à contrahentibus serio adjecta sit:*
 20. *Sed in dubio de eorum intentione;*
 21. *Ob specialem matrimonii favorem;*
 22. *Idque ex Constitutione Ecclesiæ.*

23. *Consensum non suppletis sed, absolutum fuisse, præsumuntis:*
 24. *Licet sponsi, eam à jure rejici, ignorent.*
 25. *Neque refert, an Conditio per naturam,*
 26. *Vel de facto impossibilis*
 27. *An ea de futuro,*
 28. *Vel de præterito aut presenti sit.*
 29. *Eadem conditio secundum aliquos etiam rejicitur in sponsalibus.*
 30. *Verius hac irritat.*
 31. *Conditionem, si Papa dispenset, alii qui impossibilibus:*
 32. *Melius alij possibiliibus ac consent,*
 33. *Extra casum, quò non solet dispensari.*
 34. *Qua conditio, si non exprimat, non subintelligitur.*

Conditionem impossibilem, v.g. *Contrabo, si calum digitò tetigeris, si Lunam calò detraxeris, Si mare ebiberis,* adjectam matrimonio istius favore haberi pro non adjecta; ac proinde id sub ea, perinde ut putè contractum subsistere & statim obligare, à Gregorio IX, decisum est *c. fin. cujus V. fin. ait, Licet alie conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi. Ubi*

Dubium est, quã ratione ejusmodi conditiones pro non adjectis ab Ecclesia haberi, & matrimonia statim valida esse possint. Dubitandi ratio haud sanè levis est; quia matrimonium perficitur consensu ipsorum contrahentium, *l. Nuptius 30. ff. de R. J.* qui clarè desideratur in contrahente sub impossibili conditione: imò sub ista contrahens necessariò dissentit; cum consensum suum conferat in eventum conditionis, neque aliter consentiat, quàm si ista evenierit; & propterea con-

sea conditionalis promissio tantum affe-
rat spem, debitum iri, si evenit conditio
§. *Sub conditione 4. Instit. de P. O.* conditio
autem impossibilis evenire per rerum
naturam non possit; quia id, quod impossi-
bile est, necessario non est, ut ait Aristo-
teles *Lib. 2. de Interpret. cap. 3.* Con-
firmatur hæc ratio primò; quia matrimo-
nium est contractus: qui impossibili
conditione adjecta vitatur, §. *Impossibi-
lis 11. Instit. de Inutilib. stipulat. §. 1. Non
solum 39. ff. de O. & A.* Secundò; quia,
sicut ad alios, sic etiam ad matrimonia-
lem contractum non sufficit consensus
merè internus, sed requiritur; ut verbis
vel aliis signis externis sit expressus, c.
*Cum apud 23. de Sponsal. & matrim. §.
c. 1. ibi, Corde & ore, de Sponsa duor. qui
in contrahente sub conditione impossibi-
li, ex natura sua dissentum significante,
omnino desideratur & ab Ecclesia suppleri,
vel sine eo matrimonium constitui non
potest, ut aliis DD. allegatis ostendit
Covarruvias de Sponsal. p. 1. cap. 4. pr.
num. 4.*

18. Hujus ita confirmatæ rationis ea vis
est; ut, §. *fin. cit.* dispositioni locum esse
non posse, existimem imprimis casu, quò
contrahentium uterque vel alteruter ma-
trimonio à se appositam conditionem im-
possibilem esse, ignoravit; hòc enim casu
eam effectum sortiri, eaque, sicut cæteros
sic etiam matrimonialem contractum vi-
tari, & in utroque foro pro irrito habend-
um, cum *cit.* Covarruvia p. 2. cap. 3.
§. 2. n. 5. & aliis rectè censet Sanchez
Lib. 5. disp. 3. n. 8. partim propter pari-
tatem ultimæ voluntatis ita conditiona-
tæ; quæ, si testator conditionem possi-
bilem esse existimavit, nulla est, per tex-
tum & Glossam in *l. Servos 58. ff. de Con-
dit. indebiti* & Bartol. in *l. 1. ff. eadem
Rubricâ n. 5.* partim; quòd casu, quo
adjecta conditio impossibilis habetur pro

possibili, eam jocò & non seriò adjectam,
non præsumatur: eamque adjiciens, non
nisi in eventum conditionis se obligare
voluisse, censeatur.

Deinde, eidem locus non est, quando
ejusmodi conditionem à contrahentibus,
impossibilitatis consciis, seriò adjectam
esse constat; tali enim casu eos, hòc ipsò;
quòd se non nisi in eventum necessariò
non futurum obligarint, se obligare no-
luisse, patet; ac proinde, sicut propterea
alii, sic etiam matrimonialis contractus
vitiabitur, ut cum *cit.* Covarruvia &
Sanchez n. 16. tradit Perez *disp. 16. de
Matr. f. 3. n. 5.*

Quare in matrimonio, inito sub con-
ditione impossibili, illa pro non adjecta
§. *fin. cit.* eò solum casu habetur, quò con-
trahentium, impossibilitatis notitiam ha-
bentium, intentio dubia est: & an jocò
vel seriò, consensum aliàs legitimum fir-
mandi vel irritum reddendi animò, appo-
sita sit, aliunde non constat; tali enim
casu, Ecclesia favore matrimonii, pro quo
in dubio ex ejusdem Gregorij decisione c.
*fin. de Sent. & re judicat §. c. Directa 39.
in fine, de Appellat.* pronuntiandum est,
ad evitanda gravissima damna & anima-
rum pericula, quæ ex matrimonii validè
contracti dissolutione oriri, c. *Licet 47.
in fine, de Test. & accest.* insinuatur. Hòc,
inquam, casu Ecclesia, ad conservandum
matrimonium, impossibilem conditionem
ei in legitimo consensu aliunde non defi-
cienti, jocò potius quàm seriò & dissen-
tienti aut actum irritum reddendi animò
adjectam, præsumit; quia matrimonium
non minus favorabile est quàm ultimæ
voluntates: quas adjecta impossibilis con-
ditio non vitiat, sed ipsa vitatur & ha-
betur pro non adjecta, §. *Impossibilis 10.
Instit. de Hæred. instit. l. Obiit 3. §. 1.
Multa 6. §. 1. in fine, ff. de Condit. & de-
monstr.* favore testatoris, cujus interest,
ultimam

ultimam suam voluntatem adimpleri, l. 1. C. de SS. Eccles. imò ipsius Reipublicæ; cum publicè expediat, suprema hominum judicia exitum habere, l. Vel negare 5. ff. Quomodo modum testam. aper. Ita præter alios Covarruvias cit. n. 5. & Sanchez disp. 3. cit. n. 15.

22. Dubium secundò est, an c. fin. cit. novum jus à Papa conditum sit. Eò enim antèrius & Naturale Jus solùm declarari, aiunt Pontius Lib. 3. de Matrim. cap. 4. n. 10. & Rebellus Lib. 3. de Oblig. Jusit. q. 10. s. 4. n. 27. partim; quòd c. cit. Papa; ut conditiones impossibiles pro non adjectis in posterum habeantur, non decernat ac statuat: sed solùm dicat, eas debere haberi pro non adjectis, spectatà scilicet nuptialis contractus naturà: partim verò; quòd, si c. fin. cit. dispositione seclusà, matrimonium sub conditione impossibili initum esset invalidum, valor ei à Papa conferri non potuisset; cum invalidum esset ob defectum consensùs, alligati impletioni conditionis, cujus eventus & impletio impossibilis est; ut à Papa, valorem matrimonio conferente, necessariò suppleri deberet consensus: quem tamen ullà humanà etiam Apostolicà autoritate suppleri in matrimonio non posse, cum Sylvestro V. Matrimonium 2. q. 15. cit. Covarruv. p. 1. cap. 4. in tit. n. 4. Sanchez Lib. 2. disp. 23. n. 2. & aliis dictum est Tit. 1. n. 135. & si non suppleretur, conjuges, quorum alter conditionem, quam impossibilem esse scivit, serò adiecit, eamque ita adjectam probare non potuit, debitum sibi mutuo reddendò, viverent in continua fornicatione.

Verius tamen est, c. fin. cit. novum Jus à Papa conditum matrimonii favore, ut cum cit. Sanchez disp. 3. n. 19. defendunt Coninck disp. 29. n. 42. Hurtad. disp. 7. de Matrim. n. 41. Perez cit. disp. 16. s. 3.

n. 9. & Haunold. Tom. 3. de J. & J. tract. 9. n. 284. Ratio est; quia conditio impossibilis actui adjecta, ex sua natura & communi usu modòve loquendi, dissensum potius significat quàm consensum; cum enim petita negare volumus, dicere solemus: Dabo aut præstabo, si digito calum tetigeris, si tunam calò detraxeris; ut adeò matrimonium initum sub conditione impossibili, istius præcise naturà spectatà, invalidum foret, sicut invalidi sunt alii contractus initi sub tali conditione; quia talem conditionem, sicut cæteris, sic etiam nuptiali contractui adiciens, eà indicare & exprimere velle præsumitur dissensum, l. Non solùm 31. ff. de O. & A. ubi Mæcianus JCT.º contractus generatim omnes, impossibili conditione interposità celebratos, nullius esse momenti, ait, ejusque rationem subjicit; Quia in ea re, quæ ex duorum plurimove consensu agitur, omnium voluntas spectetur: quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est; ut nihil agi existiment, apposità eà conditione, quam sciant esse impossibilem; quibus verbis apertè docemur, conditionis impossibilis adjectione in aliis contractibus dissensum significari: idemque fore in nuptiali: nisi; ut pro non adjecta haberetur conditio, speciali ejus favore statutum esset c. fin. cit. quò de matrimonio novum jus constitutum Papa factis indicat verbis Propter ejus favorem: cujus solius causà, non propter ipsà naturà contractus, conditionem impossibilem in matrimonio haberi voluit pro non adjecta. Unde corrui in contrarium deducta ratio prima.

Speciosa etiam magis quàm efficax 2; est altera; quia Ecclesia, conditionem impossibilem à matrimonio rejiciendò, non supplet defectum consensùs: sed hunc, conditionis illius expressione non obstantè, absolutè præstitum rationabiliter præsumit;

sumit; quod verisimile non sit, contrahentem in re tam gravi & sancta contractum irritum reddere & nugandò peccatum committere voluisse; atque idcirco in dubio & quoties conditionem seriò adjectam non constat, contrahentem consentum à conditione impossibili independentem habuisse, *arg. c. fin. de Sent. & re jud. & c. Directa cit. in fine*; ne, si consensum verè conditionatum fuisse præsumatur, & contra matrimonium tanquam invalidum pronuntietur, & contrahentes separati copulentur aliis, cum animarum suarum manifesto discrimine in perpetuo adulterio vivant, *cit. Sanchez n. 15. & Hurtad. n. 42.*

Ne autem cum simili animæ periculo in matrimonio vivat is, qui e conditionem impossibilem seriò adiecit: & quod eam ita adjectam non constet nec valeat probari, illi, quocum sub conditione illa contraxit, tanquam verus conjux adjudicetur: ne, inquam, id eveniat, is qui consensum suum conditioni alligavit, conditione rejecta verè consentire tenetur: sicut ita consentire tenetur is, qui in matrimonium fictè, hoc est, verbis & signis tantum externis consensum expressit, juxta dicta *Tit. 1. n. 143.* & alii, pro quorum matrimonii (quod error aut metus, quò id obtentum vel extortum fuit, probari non potuerit) valore pronuntietur, *cit. Sanchez n. 13. & Hurtad. n. 42.*

24. Dubium tertio est, an §. *fin. cit.* decisio locum habeat in contrahentibus, hanc ejus de impossibili conditione decisionem ignorantibus. Quod negant Alexand. Carerius *Lib. 3. de Sponsal. cap. 5. cit.* Covarruvias *n. 1.* & Sanchez *n. 11.* eà ducti ratione; quòd conditio impossibilis ex natura sua significet disensum, & propterea sub ea contrahens, qui relatæ decisionis ignarus est, à conjugio

potius esse alienus, quàm in id consentisse, debeat præsumi.

Sed, licet hæc ratio relatam Opinionem probabilem reddat, ego tamen probabiliorè censeo doctrinã *cit. Rebelli Lib. 2. q. 10. f. 4. n. 8. & Pontii Lib. 3. cap. 4. n. 8.* asserentium, dictæ decisionis ignorantiam non ob stare, quòd minùs conditio impossibilis in dubio pro non adjecta habeatur, partim; quòd in dubio fideles quicunque tam ignari, quàm ejus consensu, contrahere velle præsumantur secundum intentionem Ecclesiæ; ac proinde conditionem, quam ista, etiam ipsi habere velle pro non adjecta: partim verò; quòd in dubio contrahens in re valde gravi, cujusmodi contractus matrimonialis est, potius joculari, quàm astutum suum irritum reddere voluisse videatur: & judicium pro matrimonii valore potius quàm pro ejus nullitate sit ferendum, *c. fin. c. Licet & c. Directa cit.* Unde in contrarium allata ratio, licet in aliis magnam, in nuptiali tamen contractu, cujus favore consensus potius quàm disensus præsumitur, exiguam vim habet.

Sic declarata *c. fin.* decisio probabilius procedit, sive conditio impossibilis sit per naturam, ut *vg. Contraho, si digito calum tetigeris*, sive de facto tantum, qualis *vg.* est, quâ matrimonium initurus cum paupere, cui illudere velle aliunde non videtur, dicat, *Contraho, si millionem aureorum, si regnum dederis*, cum; quia *c. fin.* textus de conditionibus impossibilibus loquitur omnino indistinctè: tum verò; quia hujusmodi conditio impossibilis pro non scripta habetur etiam in ultimis voluntatibus, ut colligitur ex *l. Si quis ita cit.* ex cujus dispositione institutio, facta sub conditione monumenti proximò triduo excitandi, quæ de facto impossibilis est, non vitiatur: 25.

U ; sed con-

fed conditio habetur pro non adjecta, secundum Molinam *Tract. 2. de I. & I. disp. 206. n. 9.* Accedit; quod de facto tantum impossibiles conditiones non aliâ intentione matrimonio apponi videantur, quam impossibiles per naturam; & in dubio, quò animò adjectæ sint, matrimonii favor pro non adjectis haberi exigit utrasque, ut cum laudato Molina rectè observat Perez *cit. disp. 16. f. 3. n. 24.*

27. Dubium est quartò, an à matrimonio etiam conditiones impossibiles de præterito & præsentis reiiciantur; eas enim duntaxat, quæ de futuro sunt, reiicere videtur tenor *c. fin. cit.* in illo pro non adjectis simul habens conditiones impossibiles & turpes: quarum posteriores, si de præterito vel præsentis sint, à matrimonio non reiici, *n. 39. & n. 47.* statuetur. Unde idem statuendum erit de huiusmodi conditionibus impossibilibus; cum hæ quoque, si sint de præterito vel præsentis, conditiones strictè & propriè non sint; quòd actum non suspendant, ut propriè & strictè dictæ conditiones, ut dictum *n. 2. & 3.* Cui rationi non parum roboris addit; quòd legum & canonum verba propriè accipienda sint, *c. Inter 2. V. Sed neque, de Translat. Episc. & l. Non aliter 69. junctâ Gloisâ V. A significatione ff. de Legat. 3. Tuschus Practic. V. Verba, concl. 91. à n. 1. & 7. & Petr. Barbosa in l. Quia tale 13. ff. Solutio matrim. n. 37.* Qua ratione ductus Pontius *cit. cap. 4. n. 12.* dispositionem *c. fin. cit.* ad conditiones impossibiles de futuro matrimoniis appostas restringit cum Sylvestro *V. Matrimonium 3. q. 1. in fine & cit. Ledesma q. 47. art. 5. dub. 1. §. Hòc possid.* Contrà quos &

28. Meliori ratione *c. fin. cit.* à matrimonio conditiones impossibiles indiscriminatim omnes; ac proinde etiam eas, quæ sunt de præterito vel præsentis, rei-

ci, cum Durando *in 4. dist. 28. q. 2. n. 2.* sustinent Alex. Carerius *de Sponsal. Lib. 4. cap. 5.* Covarruvias *cit. cap. 3. §. & n. 2. cit.* Sanchez *disp. 4. n. 3.* & Perez *f. 3. n. 2.* Rationem reddunt; quia *c. cit.* Papa conditiones impossibiles non reiicit; quòd ad aliquid impossibile obligent; sed; quia omnino impossibiles sunt. Cum ergo tales, sicut quæ de futuro, sic etiam quæ de præterito vel præsentis apponuntur, sint, conjugio appositæ conditiones impossibiles indiscriminatim omnes rejectæ intelliguntur. Confirmatur; quia matrimonii favor non minor est, quam ultimæ voluntatis, à qua conditionem impossibilem de præsentis reiici & pro non scripta haberi, liquet ex *l. Si Mevia 45. ff. de Hered. institutend.* ubi conditio, *Si filia vivet,* casu, quò testator filiam nunquam habuit, tanquam impossibilis, à testamento reiicitur: licet ea de præsentis, & non de futuro sit, *Glossa in l. cit. V. Vivent,* id est, *In tempore præsentis;* cum, eam quæ nata nunquam fuit, per rerum naturam de præsentis vivere, impossibile sit.

Neque hac in re conditio impossibilis par est turpi; quia ista matrimonii favore ideo solùm reiicitur; quòd inducat ad peccandum & agendum, quòd est turpe atque inhonestum: illa autem præcisè propter impossibilitatem. Cum ergo ad peccandum & turpitudinem committendam conditio de præterito ac præsentis non inducat aut obliget, sed hoc ea tantum faciat, quæ de futuro est: contra verò impossibilitas in conditione impossibili æquè reperitur, sive de futuro, sive de præterito vel præsentis apponatur, hæc quoque in conjugio reiicienda est: licet impossibiles, quæ sunt de præsentis vel præterito, minus propriè & strictè conditiones sint, quam quæ de futuro apponuntur; quia *c. fin. cit.* Papa à matrimonio

Matrimonio reiiciendò conditiones impossibiles non tam ad earum proprietatem, quam ad impossibilitatem attendit.

29. Dubium quintò est, an conditio impossibilis pro non adjecta habeatur etiam in sponsalibus. Quod à DD. tantà concordia teneri, ait *cit.* Sanchez *disp.* 5. n. 2. ut ipse, quantumvis rationes in contrarium admodum urgeant, ab ipsis divertere non sit ausus. Ratione ipse & illi eà potissimum nituntur; quòd sponsalia sint initium & via ad matrimonium; ut, quod de isto Jure dispositum est, ad illa non malè extendatur, *arg. l. Oratio* 16. ff. de Sponsal.

30. Sed, ut *cit.* D. ultro fatetur, hæc ratio facilè diluitur; quia argumento ex *l. cit.* desumpto locus non est, quando de matrimonio aliquid statuitur ex speciali & in sponsalibus non urgente ratione, per ea, quæ cum Baldo, Decio aliisque DD. relatis tradunt Gutierrez *de Jurament. p. 1. cap. 51. à n. 9.* & ipse Sanchez *Lib. 1. disp. 12. n. 3.* decisio autem §. *fin.* continet specialem favorem matrimonii: à quo si conditiones impossibiles in dubio de proferentis intentione non reiicerentur, & propterea judicaretur contra valorem matrimonii, cui sunt adjectæ, periculum esset; ne hoc validè contractum cum gravi injuria sacramenti & animarum pernicie dissolveretur: cujusmodi periculum cum sponsalium etiam validè contractuum dissolutio non afferat, prædicto matrimonii favore non afficientur; ac proinde conditiones impossibiles, sicut alios, sic etiam sponsalium contractum vitiabunt, ut cum Salmanticensibus, à Petro de Ledesma eorum *afsecla de Matrim. q. 43. art. 5.* relatis, docent Rebellus *q. 10. cit. f. 4.* & Perez *disp. 12. f. 5. n. 3.*

31. Dubium sextò est de sponsalibus, à personis laborantibus impedimento diri-

mente, initis sub conditione, *Si Papa in impedimento* v.g. consanguinitatis dispensari; quæ hujusmodi conditione adjecta vitari, existimârunt ex Interpp. *in c. Super eo 5. Hostiens. pr. Joan. Andr. n. 2. Anchoran. n. 7. Panormit. n. 8.* & ex aliis DD. Sylvester *V. Matrimonium q. 9.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 10. n. 4.* quorum aliqui conditionem illam; quòd à voluntate Principis scilicet Papæ dispensantis pendeat, pro impossibili, *arg. l. Continuus 137. §. 6. ff. de V. O.* alii; quòd Juri adverferur, pro inhonesta habent.

Sed meliùs alii cum Covarruvia *cit. cap. 2. pr. n. 8.* & Sanchez *Lib. 8. disp. 5. n. 12.* eam conditionem pro possibili honestaque: & sponsalia, quibus adiicitur, pro obligatoriis habent; ut ante & post illam dispensationis impetratione impletam neutri liceat resilire. Ratio est; quia, licet quasi, non verè, ut *cit.* Covarruvias *n. 9.* observat, impossibile censerì valeat, quod Princeps difficillimè concedit, tamen neque impossibilia neque turpia reputanda sunt, quæ ab illo ex justa causa frequenter peti & impetrari, ut dispensationes in plerisque impedimentis Jure Ecclesiastico introductis, consueverunt: quod Sanchez *l. cit.* variis instantiis declarat. Deinde; quia, licet observatio legis ferè magis honesta, quam super ea impetrata dispensatio sit, ista tamen; quòd Juri modò ab ipsomet Jure approbatò deroget, inhonesta reputari nequaquam potest, ut rectè monet Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 16. n. 8.*

32. Neque obstat §. 6. *cit.* uti & in contrarium allegari solita *l. Inter stipulantem 83. §. 5. ff. de V. O.* secundum quam non valet stipulatio de re sacra, publica vel homine libero sub conditione, *Si illa profana, aut privata, & iste servus fiat*; quia præterquam, quod conditiones istæ,

nes istæ, tanquam dignitati & statui derogantes, inciviles ac tristes, & propterea earum eventus timendus potius quam expectandus sit, *l. Cum tale 72. ff. de Condit. & demonstr.* leges illæ exaudiendæ sunt de conditionibus, in quibus non solet dispensari: quarum proinde argumentò sponsalia v.g. inter fratrem & sororem inita sub conditione, *Si Papa dispensarit*, ab ista tanquam impossibili, vitari, cum *Petr. de Ledesma q. 47. art. 5.* meritò concedunt *Pontius Lib. 3. cap. 15. n. 1.* & *Perez cit. disp. 16. s. 4. n. 3.* licet inter duos consanguineos in tertio vel quarto gradu aliòsque similes, sub conditione dispensationis obtinendæ inita, pro validis habeant. Propòsiti Resolutio anam præbet

34. Dubio septimo de valore promissionis matrimonii à duobus, consanguinitatis aliòve impedimento dirimente laborantibus ejusque consensu, factæ sine expressione conditionis, *Si Papa dispensarit*; eam enim pro valida habet *Sorus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. §. Revera* cum eoque, si promissio sit jurata, sentiunt *Tabiena V. Sponsalia q. 8. n. 9.* & *Armilla V. cit. n. 11.* Rationem reddunt; quòd, cum inter tales matrimonium aliter, quàm Apostolicâ dispensatione impetratâ, consiliter nequeat, ejus promissio ita accipienda sit, ut conditionem, *Si Papa dispensarit*, tacitè includat; cum verba quantumcunque generalia restringenda, itaque exaudienda sint; ut actus Juri conformetur & conservetur, *arg. l. fin. C. de Usufructu.*

Verisimilius tamen, ejusmodi promissionem, saltem si de petenda dispensatione tractatum non sit, valore destitui, cum *cit. Ledesma art. 5. dub. 2. ad 4.* docent *Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 3. initio n. 7.* *Gutierrez Lib. 1. Q. 2. Canon. cap. 22. n. 17.* & *cit. Sanchez*

disp. 5. à n. 26. in eam rem allegans *l. Si stipulor 35. ff. de V. O.* cujus §. 2. inutilis habetur stipulatio ejus, quod leges prohibent. Ratio est; quòd promissio secundum præsentis temporis jus accipi debeat, *l. Continuus cit.* cujus §. 6. relatum ICT: responsum est, *Non secundum futuri temporis jus, sed secundum præsentis estimari debet stipulatio*; sic enim institutio spurii purè facta, itaque factum res seu bona majoratùs alienandi præceptum non valet, licet subsistant facta sub conditione *Si Princeps legitimaverit vel dispensarit*, minimè obicurrò argumentò, in actibus sine hac conditione adjecta invalidis, tacitè non comprehendi, eosque invalidos esse, si conditio non exprimitur, ut in simili notant in *l. Conditioni 2. C. de Inst. & substitut.* *Glossa V. Voluerit* cum aliis *Interpp. Mantica Lib. 11. de Conjectur. ult. volunt. cit. 18. n. 6.* *Covarr. cit. cap. 3. initio n. 7.* *Petr. Ledesma de Matrim. q. 47. art. 5. dub. 2. ad 4.* & *Sanchez cit. n. 26. in fine.*

Neque in contrarium urget; quòd verba sic accipienda sint; ut actus Juri conformetur & conservetur; quia hoc solummodo procedit, quando verba sunt dubia: non etiam quando, ut in propositæ matrimonialis promissionis casu, sunt clara; quia in tali actu, quod verbis expressum non est, pro omisso habetur, & sine Juris autoritate non suppletur; cum, licet interpretandi jus sit, suppleri tamen sine legis vel canonis auctoritate jus non habeamus: & mens in corde retenta, actibus hominum non accommodetur, ut cum *Cujacio ad l. Commodissimè 10. ff. de Liber. & posthum. observat Berlich. Decis. 262. à n. 7.* & *Barbosa Lib. 13. cap. 21. Axiom. 2.*

ARTICULUS III.

De Desponsatione ini-
ta sub Conditione Turpi &
Modo.

SUMMARIUM.

35. *Conditio Turpis, si matrimonii sub-
stantia non repugnet, reii-
tur:*
36. *Non quidem, si habeatur pro ho-
nesta,*
37. *Vel matrimonio serio adiciatur:*
38. *Sed in dubio de adiciendis inten-
tione:*
39. *Nisi de praterito vel presenti,*
40. *Vel sponsalibus apposta sit.*
41. *De vi conditionum, Si te virgi-
nem invenero,*
42. *Si mecum concubueris,*
43. *Et, Si donaveris centum,*
44. *Tres Conditiones matrimonii sub-
stantia repugnant:*
45. *Qua ipsum,*
46. *Et sponsalia quoque irritant:*
47. *Nisi sint de praterito vel pre-
senti,*
48. *Vel ei contrahentium alter contra-
dicat.*
49. *DD. sensus de conditione, Si Ca-
sitatem servaveris:*
50. *Sub qua matrimonium probabiliter
validè:*
51. *Probabilius invalidè initur.*
52. *Conditio illa repugnat substantia
matrimonii,*
53. *Mutui juris in corpora translatio-
nem exigentis:*
54. *Et ipsum matrimonii contractum
excludit.*
55. *Modò adjectò non vitiantur despon-
sationes.*

Quintò, Conditiones de futuro 35.
contingente Turpes, quæ ta-
men substantiæ matrimonii &
tribus ejus bonis, paulò post de-
clarandis, non repugnant, v.g. *Contraho,
si occideris, si furatus fueris*, in matri-
monio pro non adjectis haberi, à Gre-
gorio IX. decisum est *c. fm. V. Licet*, &
jam antè à Concilio Africano, relato *c. 1.*
quò textu nomine *Conditionis*, non
quamcumque sed Turpem duntaxat, quæ
tamen matrimonii substantiæ non repu-
gnet, intelligi, cum Glossa *V. Franga-
tur*, Panormit. *n. 2.* Covarruvia *p. 2.*
de Sponsal. cap. 3. §. 2. pr. docet Cani-
sius in *c. cit. n. 2. & 3.*

Non quidem, si ea habeatur pro ho- 36.
nesta; hòc enim casu, sicut aliæ hujus-
modi conditiones, sic ipsa quoque con-
tractum ad eventum usque suspendit.
Neque etiam, si eam à contrahentibus 37.
serio adjectam, & consensum non nisi sub
ejus eventu præstitum, constet; cum enim
matrimonium perficiatur consensu, *l. Nu-
ptias 30. ff. de R. I.* & iste in contrahen-
tibus deficiens suppleri ab Ecclesia non
possit, casu, quò ejusmodi conditioni con-
sensum alligatum constat, pro non ad-
jecta haberi non potest; ac proinde ad ejus
eventum matrimonium suspendetur, *cit.*
Covarr. *n. 6. & 7.* & Sanchez *Lib. 5. de
Matrim. disp. 15. n. 7.*

Sed in dubio, quò animò adjecta 38.
sit; hòc enim solò casu favore matrimo-
nii, sicut impossibiles, sic etiam turpes
conditiones matrimonii substantiæ non
repugnantes, ab Ecclesia pro non adjectis
habentur, & matrimonium purè initum
prælumitur, *cit.* Sanchez *n. 1.* & Perez
disp. 16. de Matrim. f. 9. n. 2. & 3. Ra-
tio est partim; quòd invitent ad delin-
quendum; ideòque Jure pro impossibili-
bus reputentur, *arg. can. Faciat, 22. q.*
2. ubi Glossa *V. Eodem, Id sòldm*, in-
quit, *di.*

quit, dicimus facere posse, quod iuste facere possumus: partim verò; quoddammodo iocò potius quàm seriò, sive contractum, aliàs in nullo deficientem, irritandi animò adjectam præsumi, exigat favor matrimonii, in dubio conservandi potius quàm dissolvendi, arg. c. fin. de Sent. & re iudic. & c. Directa 39. in fine, de Appellat.

39. Dixi autem, De futuro & In matrimonio. Prius; quia conditio de præfenti & præterito v.g. *Contraho, si occidisti*; pro non adjecta non habetur; & propterea matrimonium, eà verificatà, subsistere, eaque non verificatà, non valere, cum Alexand. de Nevo in c. De illis 3. n. 16. Alexand. Carerio Lib. 4. de Sponsal. cap. 5. & Covarr. cit. §. 1. n. 2. communis est doctrina; quòd ea non sit propriè dicta Conditio, & ad delinquendum non invitet. Contrarium tamen & idem, quod de collatis in eventum futurum, etiam de his conditionibus sentit Victoria in Summa, de Matrim. n. 260.

& suadere videtur favor matrimonii, arg. c. fin. cit. Posterius; quia in sponsalibus conditio turpis substantiæ matrimonii non contraria, licet ante eventum nullam, & eventum etiam expectandi, obligationem non imponat; cum inducat ad peccatù, ad quod obligatio non datur: eventum autem secuto ad matrimonium ineundum obligat absolutè. Quare in sponsalibus, sicut impossibilis, sic etiam turpis conditio, in dubio an iocò vel seriò apposta sit, favore libertatis, pro qua in dubio pronuntiandum, arg. l. Arrianus 47. ff. de V. O. censetur adjecta seriò, impletaque absolutam parit obligationem, ut cum Rebello Lib. 2. de Matrim. q. 10. f. 5. & Pontio Lib. 12. de Matrim. cap. 7. n. 3. & Petr. de Ledesma, cum DD. Salmanticensibus id probabile asserente de Matrim. q. 47. censet Palao Tract. 28. disp. 1. p. 16. n. 4.

Dubium hic est de conditionibus, Si te virginem invenero, Si mecum concubueris.

Quarum prior, si de licita virginitatis exploratione, quæ per honestas matronas & obsterices fit, juxta c. Causam 14. de Probat. accipitur, matrimoniale & sponsalium contractum suspendit. Si verò de illicita & per concubitum faciendâ intelligatur, pro non adjecta habetur; ut matrimonium, quod sub ea contractum est, purè initum censetur, Perez disp. cit. f. 10. n. 7. & 8.

De matrimoniali contractui adjecta conditionis, Si mecum concubueris, vi DD. variè sentiunt ac loquuntur apud cit. Sanchez disp. 16. à n. 1. Mihi multum interesse, videtur, an ea referatur ad concubitum, qui contractum matrimoniale antecedit, vel ad eum, qui ante vel post bimestre à contractu matrimoniali lapsus sequitur; cum, ad antecedentem relata, pro non adjecta habenda sit, juxta c. fin. cit. Si verò relata sit ad eum, qui contractum matrimoniale & duos menses ad deliberandum de ingressu Religionis à Jure indultos c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug. sequitur, matrimonium, perinde ut, si ea conditio apposta non fuisset, purè initum censetur, arg. l. Heredis 7. §. 5. ff. Quando dies legat. & l. Si servo 47. ff. de Condit. & demonstr. quia ad hunc concubitum relata conditio seriò inest ipsò Jure: ea verò, quæ ita insunt, supervacuè exprimentur, & perinde, ut non expressa, l. Cornelius 69. ff. de Hered. instir. vel admonitionis potius quàm conditionis vim habere censetur, l. Muto 6. §. 1. ff. de Tutelis. Demum relata ad concubitum intra primum bimestre neque inhonesta est, neque inest ipso Jure: & propterea contractum verè conditionalem reddit; ut non nisi conditionis impletione transeat in absolutum, Perez f. cit. à n. 2.

Dubium

43. Dubium secundò est de adjecta sponsalibus & matrimonio conditione, *Si donaveris centum*. Aliqui enim eam pro turpi absolute habent; quòd conjugium quasi venale reddat, *l. Nec esset 2. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* & tanquam libidinis, aut alio pravo affectu adjecta reproberetur, *l. Si ita 97. §. 2. ff. de V. O.* At melius conditionem istam, quando, ut serè solet ac præsumitur, ex justa, v.g. dotis, nobilitatis, juventutis aut alterius qualitatis in altero excellentis & ab altero compensandæ causâ apponitur, pro honesta &, ut alias de futuro contingenti, obligatoria cum Panormit. *in c. De illis cit. n. 3.* Covarruvia *cit. cap. 3. §. 3. n. 1. & 2.* habet *cit.* Sanchez *Lib. 1. disp. 33. n. 4.* per motus textu *c. cit.* ejusmodi conditionem non reiiciente: quem proinde cum *l. Si ita cit. §. 2.* dispositione ita conciliat; ut *c. cit.* de ejusmodi conditione ex justa: §. 2. *cit.* textus autem de ea, quæ ex inhonesta, & matrimonium libidini venale reddente causa est apposita, sit exaudiendus: cujusmodi causam præsumi existimat, quando non femina viro: sed *Si sibi nupsit*, centum foeminae promittit vir, illi nobilitate, opibus aliisque dotibus par aut præcellens. Confirmatur conciliatio hæc ex eo; quòd §. *cit.* dicatur, eam conditionem adiacenti actionem denegandam, cognitâ causâ, hoc est, præmissâ judiciali cognitione, an honesta & probabilis causa ejusmodi stipulationis fuerit, vel inhonesta, juxta *l. fin. §. 1. ff. de O. & A.* indubitato indicio, eâ ex honesta dotis vel compensationis causa adjectâ stipulationem non vitiari, ut *in c. cit.* notant Panormit. *n. 3.* & Canisius *n. 2.*

Neque cum ea pugnat; quòd *c. cit.* textus dicat, *Si mihi donaveris*: id autem, quod compensandæ nobilitatis &c.

uti & dotis gratiâ datur, donatum dici nequeat; cum ad supportanda matrimonii onera detur, *l. Pro oneribus C. de Jure Dotium.* Non, inquam, cum conciliatione allata hoc pugnat; quia *c. cit.* verbum *Donaveris* non rigorosè, sed pro eo, quod ex causa aliqua datur, accipiendum, inde satis liquet; quòd *c. cit.* agatur de donatione deducta in pactum; ac proinde non merè gratuita, sed onerosa, Panormit. *cit. n. 3.* Sanchez *cit. n. 4.* Barbosa *in c. cit. n. 4.* & Wagnereck §. 1.

44. Sextò, Conditiones matrimonii substantiæ tribusve ejus bonis repugnantes, matrimonio adjectæ, ejus contractum vitiant & invalidum reddunt, *c. fin. cit. pr.* Pro quo notandum est, in consensu in matrimonium à contrahentibus præstito, in quo ejus substantia consistit, *can. Sufficiat, 27. q. 2. c. Cum locum 14. Ec. de Sponsal. & matr. c. 1. de Sponsa duor. & l. Nuptias 30. ff. de R. I.* includi tria bona matrimonii, quæ sunt Proles, Fides, Sacramentum, secundum S. Augustinum, relatum *can. Omne, 10. q. 2. cit.* & *Glossam ibi, V. Omne.*

Primum sive Proles bonum spectat procreationem & educationem liberorum, *pr. Instit. de I. N. G. & C.* quantumvis enim proles, & ipse ejus generationis actus non sit de substantia matrimonii, ex consensu tamen in hoc præstito nascitur obligatio ad exhibendos, si exigantur, actus ex se aptos ad generationem proles & nihil illicitè agendum, quòd ejus procreatio impediatur, juxta dicta *Tit. 1. à n. 130.* Unde proles bono repugnant contractui nuptiali appositæ conditiones, de sumenda potione sterilitatis, istave aliis modis illicitis procuranda: de semine extra vas emittendo & impedienda carnalis copulæ consummatione & proles conceptione; de procurando

rando abortu illius conceptæ, de natæ suffocatione aliâve peremptione.

Alterâ seu bonum Fidei consistit in mutua fidelitate, quam conjugum uterque alteri servare tenetur, *can. Solet, 32. q. 2. & l. Viro atque uxore 39. ff. Solutio matrim.* non solum conjugale debitum, si exigatur, solvendò: sed etiam alteri se non commiscendò, *can. Omne cit. & can. fin. 32. q. 6. S. Thomas in 4. dist. 32. q. 1. art. 2.* ut ad eò bono fidei adversentur eidem contractui adjectæ conditiones, excludentes obligationem etiam radicalem ad actus conjugales sibi mutuo exhibendos, vel imponentes obligationem pro quæstu se aliis prostituendi.

Tertium sive Sacramenti bonum expositit individuum societatem vitæ: quam licet matrimonium ex sua institutione inducat, *cc. 1. de Sponsal. & matr. & de Sponsa duor. & l. 1. ff. de Jure dot. multo tamen majorem ac firmiorem individualitatem consecutum est Christi Domini ad dignitatem Sacramenti elevatione; ut, saltem si consummatum sit, ejus vinculum dirimi aliter non possit, quam conjugum alterius morte, quæ omnia soluit, *Novell. 22. cap. 20.* Atque idcirco cum hoc Sacramenti bono pugnant matrimonio appositæ conditiones de vitæ societate restricta ad certos annos, imò etiam ad incertos, v.g. donec sponsa opulentior, nobilior, honoratior offeratur; de eâ dissolvenda cum alter alteri displicuerit; de dando Repudii libello, *Perez cit. disp. 16. f. 7. n. 2. & f. 8. n. 1. & 4. & Gonzalez in c. fin. cit. n. 3.**

45. De hujusmodi ergo, conjugii substantiæ tribusve ejus bonis contrariis conditionibus de futuro, nuptiali contractui à contrahentibus adjectis, Gregorii IX. *c. fin. cit. pr.* relata percelebris decisio, & ad judicium Ecclesiasticorum instructionem Juris Corpori inserta Con-

stitutio est, *Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta, si alter dicat alteri, Contraho tecum, si generationem proliæ evites, vel donec inventionem aliam honore vel facultatibus ditio-rem: aut, si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Quæ decisio verisimilius, sicut de matrimonio, sic etiam de sponsalibus procedit saltem, quando his adjecta ejusmodi conditio cadit supra ipsum matrimonium; ut post hoc jam contractum contra Proliæ, Sacramenti aut Fidei conjugalis bonum sit adimplenda; tali enim casu eâ, sicut matrimonium, sic etiam sponsalia irritari, *arg. l. Oratio 16. de Sponsal. communi cæterorum DD. sensu recepta doctrina est D. Thomæ in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. & D. Bonaventuræ ibid. dist. 28. q. 3. n. 13.*

Ratio decisionis est; quia contrahens sub conditione, matrimonii substantiæ triumve ejus bonorum alicui contrariâ, manifestè non vult contractum matrimoniale; cum enim sine substantialibus suis subsistere nihil possit, talium aliquò à contractu remotò, exclusus ipse contractus censetur, *arg. can. De rabi, 1. q. 1. Everard. Legal. arg. loco 10. n. 5. recensitæ autem conditiones matrimonii substantiæ contrariæ esse asseruntur c. fin. cit.* Neque id immeritò; quia de matrimonii substantia ex ipsa ejus institutione & ad Sacramenti dignitatem elevatione est perpetua & mutua translatio juris in corpora sive istorum traditio ad actus ex se aptos ad generationem proliæ, & obligatio fidei conjugalis servandæ, non solum sibi mutuo reddendo debitum: sed etiam corpus aliis non tradendò, ut cum S. Thoma *q. 1. art. 3. & Turrecremata art. 2. post can. Sicut omnis 22. q. 2. communi & certa est fere omnium doctrina:*

Strina: cui sive mutui juris in corpora traditioni obligatio solum temporanea sive ad certum incertumve tempus restricta: uti & perpetua, vi cuius tamen proli generatio impediatur, aut unius corpus prostituendum sit, manifeste adverteatur.

Obstare quidem huic decisioni & rationi videtur; quod conditio retinendi proprietatem, quantumvis sit contra substantiam professionis Religiosae, c. Cum ad monasterium 6, de Statu Monach. hanc tamen non vitiet, ut colligitur ex c. fin. Qui clerici & vovent. ubi ab Innocentio III. rata habetur ejusmodi professio à muliere edita cum conditione, in domo propria cum omni substantia remanendi. Sed revera non obstat; quia dicta mulier substantiam suam tantum retinuit quoad usum pro suis necessitatibus, & administrationem à superioris voluntate pendentem, ac proinde Religiosae professionis substantiam non repugnantem, ut in c. cit. cum Glossa V. In domo, notant Barbosa n. 3. & Fagnanus n. 21.

47. Dixi autem n. 45. De futuro & A contrahentibus. Prius; quia sub ejusmodi conditione de praeterito aut praesenti initum matrimonium, illà jam existente, tenet, eàve non impletà, irritum est, ut cum Covarruvia cit. cap. 3. §. 1. num. 9. Sanchez Lib. 5. disp. 9. n. 6. & aliis observat Barbosa in c. fin. cit. n. 8. partim; quod c. cit. textus loquatur de conditionibus veris, quales, quae praeteritum aut praesens tempus respiciunt, proprie non sunt, l. Institutio 10. ff. de Condit. Insti. partim vero; quod ejusmodi conditio de praeterito & praesenti non respiciat praedictis tribus bonis contrariam obligationem, sed tantum actus executionem: matrimonialis autem contractus substantiam non ejusmodi actuum executioni, sed ad ipsos exequendos obligatio adverteatur, ut cum

cit. D. Thoma, Turrecremata &c. ostendit idem Sanchez Lib. 2. disp. 29. n. 12. Posterius, sive A. contrahentibus, intellige 48. Ambobus; si enim ejusmodi turpi conditioni, ab eorum altero adjecta, alter contradicat, matrimonium valet perinde, ut si apposita non fuisset, arg. can. Aliquando 32. q. 2. quia ille, istius contradictione non obstante, ad contractum matrimonialem, qui mutuo utriusque consensu perficitur, procedendo, favore matrimonii ab apposita conditione recessisse videtur, arg. c. Per tuas 6, cit. Covarruvias §. 1. n. 11. Barbosa in c. fin. cit. n. 9. & ibi Fagnanus n. 4.

Dubium hic & controversia inter 49. DD. in utramque partem militantes ingens est de adjectis matrimonio conditionibus honestis, ut sunt, Contrabo, si mecum vivas in perpetua Castitate, Si hanc voves: quibus matrimonium vitari, negant Abulensis in Lib. Numer. cap. 30. quest. 32. Paludanus in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. conclus. 2. n. 6. eosque secuti Rebellus Lib. 2. q. 10. f. 3. & Pontius Lib. 3. cap. 11. à n. 5. Id contra etiam talibus conditionibus vitari, affirmant Covarruvias cit. cap. 3. §. 1. n. 3. Sanchez Lib. 5. disp. 10. n. 2. & Barbosa in c. fin. cit. n. 3. pro se praeter SS. DD. Angelicum in 4. dist. 28. q. unic. art. 4. & Seraphicum dist. cit. q. ult. n. 33. multos alios & praecipui nominis I T. & Canonistas allegantes.

50. Illi moventur primò; quod inter conditiones matrimonium de Jure irritantes haec non recenseantur. Secundò, quod jus & obligatio ad copulam non sit de substantia matrimonii; cum hoc solum consensu contrahatur, l. Nuptias 30. ff. de R. J. & alterò in adulterium vel incestum cum sui conjugis consanguineo lapsò, innocens illi debitum reddere non teneatur, c. Significasti 4. de Divort. c. 1. &

X 3

c. Trans-

c. Transmissa 4. de eo, qui cognovit Sc. & utroque Castitatem mutuò consensu vovente vel Religionem professò, ejus exigendi jus ac reddendi obligationem habeat neuter, *c. Dudum 20. de Convers. conjug.* Tertiò; quòd matrimonium validè ineant duo, quorum uterque adstrictus est votò Castitatis: licet debitum exigere neuter valeat. Cur non ipsi matrimonii contractui adjici valeat conditio de eo non reddendo vel exigendo? præsertim cùm, si hæc illi adjici non posset, verum matrimonium inter B. Virginem & S. Josephum non constitisset, contra Historiam Evangelicam Matth. *cap. 1. V. 18.* & Lucæ *cap. 1. V. 27.* & textum *can. Conjug. 27. q. 2.*

- §1. Illi se fundant partim in decisione Gregoriana *c. fin. cit.* quâ matrimonium vitari asseritur conditione contrariâ bono prolis, inter honestam ac turpem non distinguendò, & vim in sola contrarietate cum matrimonii substantia, non in sola conditionis turpitudine, ponendò; partim verò in ratione; quia ex una, licet ad matrimonii ejusque contractus substantiam copula & istius exigendæ vel reddendæ intentio non pertineat: de contractus tamen matrimonialis essentia est mutua traditio corporum, vi cujus ab utroque in corpus suum jus & potentia ad actus conjugales in alterum transferatur; ac proinde ad ejusmodi actus reddendos saltem implicitè uterque obligetur: ex altera verò parte, contrahentes sub conditione perpetuæ Castitatis servandæ aut vovendæ non tantùm copulam carnalem ejusque expressam intentionem, sed etiam jus ac potentiam ad eam, vi ejusmodi conditionis excludunt; cùm vi ejus, contractui matrimoniali adjectæ, ad copulam non exigendam & non reddendam obligentur.

Ex duabus his Opinionibus proba-

bilem judico utramque, ita tamen; ut præferendam censeam posteriorem. Ad rationum, contra eam pro priori allegatarum, primam patet responsio ex dictis. Unde etiam

Secundæ solutio desumitur; quia §3. consensus, quò matrimonium perficitur, essentialiter tendit in mutuam traditionem corporum, & juris ac potentiæ ad copulam in alterum translationem. Cui non obstat; quòd hoc jus & potentia, salvâ matrimonii substantiâ, valeat tolli; quia hæc semel ritè posita per pactum superveniens aut alium actum, licet contrarium, non vitatur, *arg. l. Pretij 9. ff. de Rescind. vendit. & l. Empti 9. C. de Contrab. empt.* secundùm quas, licet sine pretiò non contrahatur emptio, venditio, nihilominus, si conventionè de pretiò ejusque substantiâ positâ non solvatur pretium; quia v.g. remissum vel pro eo res est præstita, contractus semel perfectus non perit, ut ad hanc Rubricam advertit Zœlius *n. 3. & 5.* & Wagnereck *in c. fin. cit.*

Neque majorem vim habet tertia; quia imprimis votò Continentiæ obstricti matrimonium validè contrahere ideo possunt; quòd per votum simplex corporis ad continentiam promissio, non etiam traditio, facta sit; quia res uni promissa alteri tradi validè potest; ut in hunc ejus dominium transferatur, *arg. l. Si à Titio 72. ff. & l. Quoties 15. C. de R. V.* ac proinde etiam in corpus, ex promissione Deo ad continentiam obligatum, jus ad actus conjugales per contractum matrimoniale in alterum transire. Deinde, §4. quia in contractu matrimoniali conditio ad continentiam obligans locum juxta dicta ideo non habet; quòd ejus adjectione mutui juris in corpora ad potentiam copulæ translatio, & consequenter ipse matrimonialis contractus impediatur: si-

tur: sicut, si emptioni apponatur conditio, auferens necessitatem sive obligationem pretii vel rei tradendæ, impeditur ipsa emptio; ut nihil actum censeatur *arg. l. In vendentis 13. C. de Contrab. emp.* Et demum; quia Beata Virgo Virginum, sicut sine consensu in copulam, sic etiam contraxit sine ejusmodi conditione: & tamē jus ac potestātē in corpus suum in S. Josephum verē transtulit, & transferre licitē potuit; quōd de conjugali debito ex Divina dispositione nunquam exigendo divinā revelatione fuerit certa, ex doctrina S. Augustini *can. Beata, 27. q. 2. relati & cit. D. Angelici des. 30. q. 2. art. 1. questiunc. 2.*

55. Septimō demum matrimonio adjectus Modus, sive possibilis sive impossibilis sit, id non vitiat aut annullat: sed, si ipse possibilis & honestus est, adimpleri debet ab eo, ad quem obligandum est adjectus, Sylvester *V. Matrimonium 3. q. 12.* Si verō est impossibilis aut turpis, tam contrarius matrimonii substantiæ quā huius non repugnans, eum pro non adjecto & non obligatorio habendum, cum

Soto & Petro de Ledesma *citt. veriùs exillimant Palao tract. 28. disp. 2. p. 11. n. 3.* Ratio est; quia consensus in matrimonium, cui adiectus est modus, non elicitur dependenter à modo; in hoc enim iste differt à Conditione; quod istius eventui, non etiam Modi existentiæ aut eius implendi obligationi matrimonium alligetur; ac proinde consensus etiam non eliciatur dependenter ab aliquo, quod est contra substantiam matrimonii; etiam si huic contrarius modus contractui sit adiectus.

Neque obstat; quōd, huiusmodi modo adiecto, in matrimonium consentiens intendat alterum obligare ad aliquid, quod substantiæ matrimonii adversatur, & iste fortassis huiusmodi obligationem acceptet; quia huiusmodi obligationi, aut quem ista respicit, eventui consensus in matrimonium à neutro alligatur, sicut contra alligatur eventui conditionis; modus enim ex eoque orta obligatio posterior est iam perfectō contractui matrimoniali, cui est adiectus, ut præter *citt. DD. expendit Perez disp. 17. f. 15. n. 14. & 15.*



TITVLVS VI.

Qui Clerici & Voventes Matrimonium contrahere possunt.



Conditionibus, Desponsationi quandoque solitis apponi, redimus ad eius impedimenta: quorum tria, Ordinem Sacrum & Professionem Religiosam, nuptiarum valori, &

Votum simplex earum honestati duntaxat obstantia, præsens Rubrica eque subiecti textus offerunt: quibus Disparitatem à Fide Christiana alieni Cultus adiciemus.

ARTICULI.